



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De spirituali coniugio viri, & mulieris in nobis. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Lib. de Tri-
12. cap. 8. in
principio.
Ca. 7. eiusdē
li. 12. de Tri-
in fine.
Ca. 14. eius-
dē ad prin.
Li. de Tri.
12. ca. 12. ad
princip.

commune cum pecore, recte dicitur ad exteriorē hominem pertinere. Nō enim solum corpus exterior homo deputabitur: sed adiūcta quadam vita sua, qua cōpages corporis, & omnes sensus vigēt, quibus instructus est ad exteriora sentienda. Ascendentib⁹ ergo introrsum quibusdam gradibus considerationis per animæ partes, vbi incipit aliquid occurrere, quod non sit nobis cōmune cum bestiis, ibi incipit ratio, vbi homo interior iā possit agnosci. Rationis autem pars superior, æternis rationibus conspiciendis vel consulendis adhærescit, portio inferior ad temporalia gubernanda deflectitur. Et illa rationis intentio qua contemplanur æterna, sapientiæ deputatur: illa vero qua bene vtimur rebus temporalibus, scientiæ deputatur. Cum vero differim⁹ de natura mētis humanæ, de vna quadā re differimus, nec eam in hęc duo quæ commemorauimus, nisi per officia, geminamus. Carnalis autem vel sensualis animæ motus, qui in corporis sensus intenditur, nobis pecoribusque communis est: qui seclusus est à ratione sapientiæ, rationi autem scientiæ vicinus est. *Quod talis est ordo peccandi, vel cadendi in nobis, qualis fuit in primis hominibus.* G

De spiritua-
li coniugio
viri & ma-
lieris in no-
bis.

Illud quoque prætermittendum non est, quod talis nunc in vno homine tentationis est ordo & progressio, qualis tunc in primis præcessit parentibus. Vt. n. tūc serpens malum suavit mulieri, ipsa que consentit, deinde viro suo dedit, sicque consummatum est peccatum: ita & nunc in nobis pro serpente est sensualis motus animæ, pro muliere inferior portio rationis, pro viro superior rationis portio. Et hic est vir qui secundum Apostolum dicitur imago, & gloria Dei: & illa est mulier, quæ secundum eundem dicitur gloria viri. Atq; inter hūc virum & hanc mulierem, est velut quoddam spirituale coniugiū naturalisq; contract⁹, quo superior

or rationis portio, quasi vir debet præesse & domi-
nari: inferior vero, quasi mulier debet subesse & o-
bedire. Ideo vir secundum Apost. non debet habe-
re velamen, sed mulier. Et sicut in cunctis animã-
ribus non est repertum homini adiutorium simi-
le sibi, sed de illo sumptum, quod ei formaretur in
coniugium: ita & in partibus animæ quas cum pe-
coribus habemus communes, nullum menti no-
stræ simile est adiutorium. Vnde Aug. in eodem,
Illud nostrum, quod in actione temporalium tra-
ctandorum ita versatur, vt non sit in nobis com-
mune cū pecore, rationale est quidem, sed ex illa
rationali mente, qua subheremus intelligibili, &
incommutabili veritati, tanq̄ ductum, & inferio-
rib⁹ tractadis gubernadisq; deputatū est. Sicut e-
nim in omnib⁹ pecorib⁹ nō est inuentum viro ad
iutorium simile sibi, nisi de illo de tractum in cō-
iugium formaretur: ita menti nostræ qua super-
nam consulimus veritatem, nullum est ad vsum
rerum temporalium, quantum naturæ hominis
fatis est, simile adiutorium ex animæ partibus
quas communes cum pecoribus habemus. Ideoq;
rationale nostrum nō ad vnitatis diuortium se-
paratum: sed in auxiliū societatis quasi deriuatū
in suo dispartitur officio. Et sicut vna caro est duo-
rum in masculo, & in fœmina: sic intellectum no-
strum & actionem siue rationē & appetitum ra-
tionalem, vel si aliquo modo significantius dici
possunt, vna mentis natura complectitur: vt sicut
de illis dictum est, Erunt duo in carne vna: sic &
de his dici possit, duo in mēte vna. Ecce ex his ver-
bis apertè intelligi potest, qualiter in anima ho-
minis existat imago illius coniugii, & qualiter in
singulis nostrum spiritualiter sint illa tria, scilicet
vir, mulier, serpens.

Qualiter per illa tria in nobis consummetur tentatio. H
Nunc superest ostēdere, quomodo per hæc tria

Ce

in no-

1. Cor. 11. 6.

Aug. li. 12.
de tri. ca. 3.
in princip.

Gen. 2. 2.